



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

Caput IV. De Ascensu Menstruo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

CAPUT IV.

De Ascensu Menstruo.

Idem is penè est cum Hebdomadario, ideoque nihil peculiare hîc dicendum, nisi de quo tractabit sequens.

S. U N I C U S.

De Suffragiis Menstruis.



A Hæreses inter & Ecclesiam Catholicam est differentia, non solum quod hîc, qua illæ exulant, integra Fidei veritas respicitur, sed &, qui ibi desunt, quod hîc, ideoque Psalmographo dicta *circumdanda varietate*, ad pietatem inveniantur illices quamplurimi, quos inter, ut Cæremonias & alios taceam, non infimum locum obtinent piæ *Sodalitates*, quarum Primam, quæ erat de Rosario, institutam ejusque Initiatorem ex Ordine Prædic. B. Alanum de Rupe apud Zwolle Transifulanos vitâ functum & humatum scribit *Grægorius lenius*: quem deinde Franciscani cum Córdâ, Augustiniani cum Cingulo, ac novissimè, ne recensent omnes, cum Scapulari subsecuti sunt Carmelita, omnes de Ordine Mendicantium. Verùm cum piis hîc Inventis quidam hîc abuterentur non ad lucrum animarum sed animorum, eosque à legitimis suis partibus ad alienigenas inflectere allaborarent quæstum æstimantes pietatem, aliam favoribus spiritualibus à Sede Apostolica abundè locupletatam sub Titulo

*In Sacra-
rio Urbis
Colon.*

*1 Timoth.
6:5.
Vide Libel-
lum.*

Grægorius

Gratiæ Dei & Patrocinio Proto-Apostolorum nostrorum *Wilibrordi ac Bonifacii* erexit Illust^{mus} p. m. *Sasboldus*. Virgini ego dissuadeo omnibus promiscuè deferre nomen suum: parùm enim id proderit, neque statim de meritis omnium, ut quidam venditant, si modò inscripta, participaverit: Fatuis negatum à Prudentibus de Oleo suo, ad cautelam interprete D. Hilario, *alienis scil. operibus ac meritis neminem adjuvandum, quia unicuique lampadi suæ emere in Matth. oleum sit necesse.* Nundinatio nulla nec donatio inter vivos hîc locum habet: *Ite potiùs ad vendentes & emite vobis.* Lacinia panni, Coriola, Funiculi vel Coralla cælum non dabunt, at sola Patris cœlestis adimpleta voluntas: sed omnibus Auctor sum, non æmulus aut invidus aliis, ut in *Wilibrordo-Bonifacianam* ^{21.} sese recipi postulent, cùm in Hæreseon excidium & Catholicæ Fidei triumphum, quæ Virgini nostrati cum primis debent esse in voto, omnes ejus Leges ardentissimè conspirent non prodicionis aut rebellionis consiliis sed pietatis & charitatis subsidiis: neq; enim Virgini tam respiciendum ad promissos Indulgentiarum favores, quàm ad ea Christianæ pietatis opera, per quæ iis sese dignam divinæ Benignitati præstiterit: non tam affectet pœnarum relaxationes, quàm ne indigeat allaboret.

Tu itaque Virgo, si ei hætenus non fueris inserta, fac te quantociùs sub ea censi: & si eo in loco fueris, ubi *Suffragia Menstrua* distribuuntur (quæ consuetudo è Palatio B. Francisci de Borgia Gandiæ Ducis cum eo in Societatem Jesu & exinde in Sodaliates reliquas profluxit) nolo satis esse putes *Schediasma* accepisse, reverenti osculo salutasse, nomen in-

spexisse, perlegisse reliqua: mox ubi domum ventum est obvio libello abdere & veluti captivum includere, aut etiam contemptim ut vilem chartam abjicere, mensem elabi finire nec mense toto vel semel porrecti Sancti nomen aspicere, imò nec meminisse quidem accepti: hoc non est honorare, non est hoc colere Cœlites, satiùs esset hospitem hunc è celo nonquam domo admittere, quàm sic habere irreverenter aut turpiter abjicere: aliud sibi postulat mestrua sortitio sanctorum, & quidem

PRIMÒ, ut ejus, qui vel quæ tibi obtigit, patrocinio statim te & omnia tua commendes, tanquam ei cujus præsidio te pro hoc mense divina providentia commisit. Prima data occasione in Vitis SS. gesta revideas, quò te ad ejusdem imitationem propellas, sine qua incassum Sanctorum suffragia speras. nescit eos Abraham eosque Israël ignorat, qui veri Israëlitaë aut non sunt, aut esse non affectant: imò, „ etiamsi Abraham Patriarcha pro his supplicet (ad- dit D. Chrysofostomus) qui in suis vitiis permanent, do immedicabiliter ægrotant, abibit Deus relinquens rogantem, ne vocem pro talibus intervenientis exaudiat... Non igitur oscitantes & delin- des ex aliis pendeamus: habent enim vim pro nobis & quidem maximam orationes supplicationesque Sanctorum, sed tunc cum nos quoque pœnitentiam egerimus & ad studia meliora confugimus. Quotidie dum Sertum Rosaceum texis, ejus memoriam eidem innectas, ad singulas orationes dicendo: Sancta Maria Mater Dei cum B. Agatha vel S. Mat- thia (vel quisquis ille fuerit.) Ora pro nobis peccatoribus, &c. Eum suo loco, si Martyr inter Mar- tyres,

Isai. 63:
16.

Hom. 5.
in Matth.

tyres, si Confessor inter Confessores, si Virgo sit inter Virgines, invoces dum Lytanas majores recitas. Roges, ut, dum ad sacram Communionem accedis, is te comitetur ac deducat: plurimum commendat hæc societas. Festo ei die Sacro intersis illudque Deo in ejus honorem offeras, & siquidem tibi concessum fuerit, sacrâ te Communionem reficias. Denique foveas amicitiam contractam & familiaritatem initam, quem in finem aliqui eorum omnium, quos unquam per menstruam sortitionem acceperunt, syllabum & Lytanas conficiunt, ut & ipsi eas singulis mensibus percurrant & ab aliis in mortis vicinia sibi prælegi petant, proderit tum eorum patrociniis sublevari, cum multæ contra te querelæ deponentur, cum deprecans justitiam misericordiam implorabis.

SECUNDÒ, ut in præscriptæ virtutis exercitium vel notati vitii excidium toto hoc mense cum primis incumbas, ad quod te moveat non merè casu, sed divinâ planè dispositione, illam sententiam, quæ vitium culpat vel virtutem commendat, te sortitam: neque erit ea vana suspicio, advertis enim, secundùm illam quam de singulis habes notitiam, eam cuique ut plurimum obtingere, quæ id accipienti inculcet cujus illa vel maximè indiga: audies garrulæ præscribi silentium, Cellam vagæ, diligentiam tepidæ, eleëmofynam parvæ, patientiam morosæ, &c. Quare dum prælegitur tibi Sententia Schedæ inscripta eo animi sensu eam excipies, ac si animæ tuæ Sponsus ejus exercitium per totum hunc mensem tibi præciperet, utpote cujus conniventia & patientia sat diu dissimulavit ac sustinuit tuam imperfectionem: cui ut obedias, primo subsequenti die sit ea Meditationis

tuæ materia, in qua inquires & statues, quâ ratione quotidie te in ea exerceas, &, an in proposito proficias vel deficias, particulare tuum Examen quotidie investiget, &, quò satisfacere possis, suppetias divinæ gratiæ per menstrui tui Præsidis suffragia implorabis. Sancta jam fuisses corpore & spiritu, si usque huc monita tibi in schedio tuo præscripta eâ sollicitudine executâ fuisses, non sponte suâ ut vitiorum lolum infelix at labore & industriâ fatæ ac fotæ succrescunt virtutes: *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat*, ait Proverbiorum Autor, &, *qui congregat in messe filius sapiens est, qui autem stertit æstate filius confusionis*. Depone itaque vel nunc pigritiam tuam, excute somnolentiam, & dum Heroum cœlestium memoriam agis & consortium suspiras, eorum quoque studium ac virtutes æmulare, *ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores*. „ Quæ est autem illa justitia, (ait Autor Hom. in Matth. apud S. Chrysost.) Sanctos colere & contemnere sanctitatem? primus gradus pietatis est sanctitatem diligere, deinde Sanctos, quia non Sancti ante Sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante Sanctos. Sine causa ergo Justos honorat, qui justitiam spernit. Non possunt Sancti amici esse illorum quibus Deus est inimicus. Numquid potest esse pacata familia, Domino adversante? Non patrocinantur illi, nisi quos ad studia meliora abripit Dei & virtutis amor. Nihil ipsis in gloria cum hîc ingloriis. Sponsas infideles non curant ardentissimi Amici cœlestis Sponsi.

TERTIÒ denique ut ores pro iis, quos tuis precibus scheda commendat juxta monitum B. Jacobi:

c. 10. v. 4.
& 5.

S. Greg.
Hom. 37.
in Evang.

Hom. 245

Orate pro invicem ut salvemini. Debent enim, quod ^{6. 5. v. 16.} inculcat Apostolus, *pro invicem sollicita esse membra: 1 Cor. 12:* quod ut ritè fiat, petes quamprimum, quid per te ^{25.} postulari velit, quæ tuis precibus est assignata: suppono, quòd dicet gratiam ad illud exercitium quod ei in suo schedio præscribitur, tu certè id à te sciscitanti responderis. Tum quotidie dum Sacrum audis, dum Rosarium volvis, ejus memoriam facies, festoque Patroni tui die Missæ Sacrificium illum etiam in finem offeres, eumque rogabis ut sicut tibi ita & illi patrocinari apud omnium bonorum Largitorem dignetur.

Si ea esset Filiæ meæ in profectum vestrum unanimis conspiratio, citò revera obtineretur perfectio- nis apex: si ita cogitetis quæ sunt Domini, omni- modam corporis & animæ sanctitatem ausim polli- ceri, non meis, sed Domini mei & Sponsi vestri ver- bis: „ Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis con- ^{Matt. 18:} „ senserint super terram, de omni re, quamcunque ^{19.} „ petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.

Quicquid postulassent ad ornatum pertinens, accipie- ^{Est. 2: 13} *bant Virgines pro Assuero selectæ: non erit parcior in suas Monarcha cœlestis, quas vult sanctas cor- pore & spiritu. *Emulamini itaque Charismata* ^{1 Cor. 12:} *meliora.* ^{31.}*